

t) 536. SINUS VENOSUS est cavum seu *Receptaculum* auriculae capax, eique subiectum insertumque, infra recipit 3 truncos Venarum, quorum medius et maximus *venae cavae* est analogus, reliqui sanguinem ex partibus genitalibus, hepate et splene collectum huic Receptaculo communicant.

u) 537. AORTA est arteria conica apici cordis inserta, mox dilatatur, et in ramulos divisa branchias permeat, dein rursus in unum collecta *aortam descendentem* format, quae rursus in varios ramos divisa sanguinem variis corporis partibus communicat, unde reductus tandem in venas ad *Sinum Venosum* memoratum intrat et per hoc receptaculum Auriculae et denique cordi redditur.

*Observatio.* Medulla spinalis in pluribus Piscium speciebus, secundum vertebrae decurrit et eis juncta est.

### 3. HABITUS.

A. GENERATIO. Adhuc dum sub iudice lis est: *alii* statuunt *Genituram* Maris emissam a Femina devorari, eamque sic impraegnari, et foecundata parere ovula: *alii* suspicantur *Mares coire* cum feminis et penem minimum immittere urethrae: (quod in Rajis, squalis et aliis utique accidit) *alii* denique volunt Feminam emittere ovula, turgido ventre ovario repleto ovulis ad majorem molem excretis pruriente; ideoque vel fundum petunt vel loca plantis aquaticis et marinis seu fucis foeta, ubi fricant inferiora abdominis, tunc membranula colligente ovula dirupta, ea per urethram emittuntur. Mas eodem pruritu in loca eadem ad frictionem aptis impellitur, ibique fundit genituram super ovula, eaque foecundat, quae dein calore solis et aquae temperie excluduntur. Haec forte salubrior sententia, nam  
alias

alias provida natura nimiam geniturae quantitatem in masculis procreasset; minime admittendo argumento, quum videamus nihil supervacaneum in natura esse.

Praeterea genitura salmonum mixta cum ovulis ex ventre expressis in fitula, et inde piscinae immissa, procreavit salmunculos perfectos; id restat ut genitura separatim, ovula separatim in diversis piscinis reponantur, et si tunc nulli oriuntur pisciculi, certo fundamento stabit posterior sententia.

I. NUPTIAE, uti videtur *promiscuae*, indiscriminatim pluribus maribus sequentibus natando feminas plures.

## II. NIDIFICATIO.

- a. *Certa*, *Cotti Gobii*, in fundo glareoso.
- b. *Vaga*, in arena, faxis, plantis fundi maris et aquarum dulcium.

## III. FOETUS.

- a. *Vivus*, productus ab Anguilla et Blennio viviparo, Raja, Squalo, Chimaera, Sygnatho, aliis.
- b. *Ovula*, dein temperie aquae excludenda.

Numero prorsus stupendo, exemplis Gadi Moruae 3,686,760. Cyprini Carpionis 203,109. Pleuronectis Fleli 1,357,400. etc. Act. Angl. a. 1767.

Colore, plerumque luteo, vel testaceo.

## B. VICTUS.

### I. CARNIVORI ET ZOOPHAGI.

- a. *Animalia mortua et Cadavera*.  
Muraenae et Petromyzones et alii pisces.
- b. *Animalia viva*.
  - a. *Homines*, a Squalis et Rajis.
  - b. *Avium et imprimis Anserum Pulli* a Squalis, Lucii etc.

c. *Pisces*,

c. *Pisces*, a Coryphaenis, Scombris, Luciis, Percis, aliis.

d. *Insecta*, a Fruttis et aliis Lacustribus.

e. *Cancelli*, a Cottis, Gobiis et pluribus.

f. *Vermes*, a plerisque lacustribus, fluvialibus.

## II. PHYTIOPHAGI.

*Fucus*, *Algis* et *plantis submarinis*, imprimis *Sparus Salpa* et *Labrus Scarus*.

## C. MORES.

### I. SOCIETAS.

a. *Solitarii*.

b. *Gregarii*, *Clupea Harengus*, *Sprattus*, *Pilcardus*.

### II. PECULIARES MORES.

a. Alii fugendo lambunt petras, ut fiant stabiles.

b. Alii affiguntur clypeo capitis *Squalis*.

c. Alii praecedunt *Squalos*, *Gasterosteus Ductor*.

d. Alii jaculantur aquae guttas in insecta ramis foliisque plantarum aquae vicinarum infidentia.

e. Alii piscantur cirris oris.

f. Alii inertes se defendunt electrico vel torporifico ictu.

g. Alii pinnis pectoralibus elongatis evolant e mari.

h. *Anguilla* e lacubus in continentem procedit et post pluviam inter pisa vermes limaces et insecta collectura latitat.

i. Alii natant in aqua suprema, media, fundo.

k. Alii nonnisi in fundo obrepunt.

4. STA-